Quelle: https://manuscripta.at/?ID=236
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



71

sum in terra: non abscondas a me mandata tua. Concupiuit anima mea: desiderare iustificationes tuas in omni tempore. Increpasti superbos: maledicti qui declinant a mandatis tuis. Auferre a me opprobrium et contemptum: quia testimonia tua exquisiui. Etenim sederunt principes et adversum me loquebantur: seruus autem tuus exercebatur in iustificationibus tuis. Nam et testimonia tua meditatio mea est: et consilium meum iustificationes tuae. Adhesit pauimento anima mea: uiuifica me secundum uerbum tuum. Vias meas enumeraui et exaudisti me: doce me iustificationes tuas. Viam iustificationum tuarum instrue me: et exercebor in mirabilibus tuis. Dormitauit anima mea tedio: confirma me in sermonibus tuis. Viam iniquitatis amoue a me: et de lege tua miserere mei. Viam veritatis elegi: iudicia tua non sum oblitus. Adhesi testimoniis tuis domine: noli me confundere. Viam mandatorum tuorum cucurri: cum dilatasti cor meum. Ant. ps. Deduc me domine. Legem pone mihi domine uiam iustificationum tuarum: et exquiram eam semper. Da mihi intellectum: et scrutabor legem tuam: et custodiam illam in toto corde meo. Deduc me in semita mandatorum tuorum: quia ipsam uolui. Inclina cor meum in testimonia tua: et non